



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos,  
quomodo inquinabo illos?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

eorum cum dato spiritu sancto prædicaretur euangelium. Hinc est illud: In diebus autem illis crescente numero discipulorum, factus est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduarum eorum. Propter huiusmodi maxime fiebat uox dilecti pulsantis & dicentis: Aperi mihi soror mea, uidelicet ne uel infirmiori sexui deesset salutaris doctrina, ministeriumque & norma uitæ, uel morum disciplina Ego autem inquam.

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illas? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Quam dudum quippe dilecte mi uitam perfecte solitariam concupiui, in qua sic uiuitur ac si quis tunica uel omni ueste nudus quiescat sibi in secreto lectuli lotis pedibus, & expers totius pulueris. Quomodo rursus implicabor curis, quæ non desunt prælatis in conuersatione communi: quæ uita communiter uiuentium propriumque nihil habentium religiosa sit uel esse possit? Hæc namque uita sine uictu uel ministerio quotidiano non potest deduci, & non nihil habet pulueris, imo & nimis sæpe puluerulenta est, & in primis murmuriosa, sicut initio iam audistis o amici, quia factus est murmur Græcorum aduersus Hebræos eo quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduarum eorum. Nec mirum quod in sexu isto, sexu fragili, cõfugiẽte ad nos de luto sæculi, subest aliquid pulueris huiusmodi: cum & in uestro. s. sexu uirili nonnulla reprehensibilia sint, & multa pristina conuersationis uestigia supersint,

RVPE. IN CANT. CANT. CA. V.

**¶** Ego autem dilecto meo pulsanti loquor, eiq[ue] nota replico, quia singularis ego prae omnib[us]. exui me tunica mea, mente & actu uel habitu reliqui omnia, & ita laui pedes meos, conscientiam siue intentionem meam emundante spiritu sancto, ut iam dicti pulueris nihil omnino residuum sit. Quomodo nunc induar tunica, ut cum mea reliquerim omnia, curem aliena, pro alijs sollicita & earum quae quotidie ueniunt uiduarum, uel quae uenturae sunt uirginum, mater familias effecta? Quomodo inquinabo quos laui pedes meos. i. ad aliqua terrena inclinabo oculos uel caeteros, quos omnes tibi soli dilecte mi dedicauit sensus, uel cogitatus meos? Na[m] etsi custodia tua semper mecum est, uera tamen humilitas semper sollicita est, & mea potissimum anima, quae amore tuo singulariter plena est, pro puluere aestimat, pro sordibus reperat, quicquid unquam praeter te per aliquam necessitatem dicit uel cogitat, quousque licitum sit, quousque non ociosum, imo & aliquatenus utile uideri possit. Haec uel his similia dicenti & uigilanti corde dormire uolenti mihi quid obuenit?

**¶** Dilectus meus misit manum suam per foramen, & uenter meus intremuit ad tactum eius.

**¶** Quomodo o dilecta misit dilectus tuus manum suam per foramen? Quae est illa manus? Quod est illud foramen? Quis ille tactus? Quis ille tremor? Quomodo intremuit uenter tuus? Aut quid uenter tuus? Mirantes ista quaerimus, quia talium inexperti sumus. Dicit quidam ueterum amicorum, Et misit dominus manum suam, & teti

Hiere. 1: